

rum vim hominibus maximè inimicam, & siccitatem aeris, ex qua humores acres, ac feruidos nosq; ustulantes colligamus. Atque inde discordia, bella, & cædes oriri uolunt: fontem enim omnium calamitatum fumum existimant: ex quo sint uenti, à quibus arefcatur mundus, & homines ustulati (sic loquitur Peucerus) in furorem agantur. Verùm, dices, Aristotelem tum uentos fieri docere, cum plures Cometæ simul fiunt. Respondeo, Astrologos, quos oppugno, ab omni Cometa omnia ferè mala timere præterquam quòd conuincitur, ut uidebimus infra, Philosophus ab huius anni constitutione. Cum neque uenti, neque siccitas uigeat post maximum Cometam, qui p duobus aut tribus haberi potest. Sed ad præcipuam disputationem. Quatuor enim disquirenda sunt. Num fumus materia sit Cometæ. Num cogatur ad eius generationem. Num accendatur in summo cælo tractus. Deum num quid uentorum ac siccitatum sit Cometa efficiens.

*Fumus post
Cometam
Aristoteles
de multis
Cometis*

*Questio-
nes quatuor
contra
Aristotelē*

Duplex halituū genus è terra & aquis efferi minimè negarim, uaporem calidum, humidum, & exhalationem calidam, siccam. Sed quemadmodum fumus cogatur sub æthere, sistatur, dēsetur, simillimusq; sui tam diu flagret, nullo tremore, nullo flammis proprio motu, nondum intelligo. Halitus quidem ascendit suapte sponte, hoc est, calore proprio ferente ac leuitate, cum inquam impressa per Solem & Lunam caliditate uapor sursum petit, siue aqueus sit, siue igneus. Et certum est eousq; scandere ista, quousq; acquisita caliditas manet. Manet autem tã diu, donec ab aeris uel gelu, uel ardore calor iste leuis non superatur. Porrò autem Dudithi facile iste calor perit, cum quia moles aeris uel frigidioris uel calidioris longè maxima est, tum quia quò magis uapor ascendit, eò magis attenuatur, donec in tenuem aerem, ambientem, & oppugnantem abeat.

*Cap. II.
Halitus duplex.*

*Vaporis
natura
uis*

Sed esto, superet fumus (de hoc enim est agendum) medium aeris gradum, transcēdat gelidas nubes, & sum-

D